DE VITA EXCELLENTIUM VIRORUM MARRATHENSIUM ...

Giuseppe Benedetto Consolini

DE VITA

EXCELLENTIUM VIRORUM MARRATHENSIUM

COMMENTARIOLA

AUCTORE

IOSEPHO BENEDICTO CONSOLINI

NUNC PRIMUM EDITA

IMPRIMATUR Fr Seb Pallavicinus Sac Theolog Mag ac Vic Gen S O Faventiae

IMPRIMATUR A Can Contis Pro Vic Gen

FAVENTIAE

E TYPOGRAPHEO CONTIANO

INEUNTE AN. MDCCCLXIII.

STEPHANO · ROSSI

DOMO · GENVA

RAVENNATEM · PROVINCIAM · DELEGATI · MVNERE

SAPIENTER · MODERANTI

QVEM

POLITIORVM · LITTERARVM · CVLTOREM · EXIMIVM

NECNON · BONARVM · ARTIVM · FAVTOREM

LONGE · STVDIOSISSIMVM

OMNES · IVRE · OPTIMO · SVSPICIVNT · COMMENDANTQVE

IOANNES · MARCELLVS · VALGIMIGLI

OBSEQVENTIS · VOLVNTATIS · ERGO

ANGELO MARIAE FABRONIO

SANCTAE MARIAE TRANSTIBERIM CAN. PRAESTANTISSIMO

JOSEPH BENEDICTUS CONSOLINIUS

FELICITATEM

Scripsi, Fabroni ornatissime, de Vita excellentium Virorum, qui in aliquo virtutis genere versati apud nos magna cum laude nostris hisce temporibus, gloriam sibi compararunt. Quid mihi hac in re proposuerim, etsi facile intelligis, tamen, dum Tibi opellam hanc nostram offerimus, ne videamur aliqua ex parte nobis deesse, paucis complectar. Ac primo quidem : dandum aliquid fuit hujusmodi Viris. Noram Castilionem : Jacobo obsequium praestiteram : Virgilio vero ea mecum fuit studiorum, et familiaritatis coniunctio, ut, cum a Te discesserim, quem ego plurimi facio ab iis usque temporibus, quibus, defuncti quotidianis gymnasii laboribus, studia nostra recolere domi tuae

solebamus ; cui caput illud mihi carissimum non anteponam, habeam neminem. His accedit Patriae caritas : cui cum ego deferam plurimum, cur non eidem concedam, ut, quos genuit, veluti mater, et lacte quodam purissimo aluit ad gloriam, eosdem versari in ore hominum, meritis laudibus cumulatos, quantum in nobis est, omnino perspiciat? Neque enim potest excogitari quicquam Patria carius : cui profecto, nisi extinctos jam gerat igniculos illos, quos ingenuit in nobis natura, non auserit quispiam negare, quod exteris, nullaque nobis cognatione coniunctis, ultro interdum tribuimus. Atque haec altera caussa est, Fabroni ornatissime, qua laborem hunc nostrum suscepi-

mus. Quid si Te tertium adiungam? Nonne videar et observantiae erga Te meae, plane singulari, et nomini, Tibi jam parto virtutibus tuis, aliqua saltem ex parte satisfacere? Declarant hoc tua in me beneficia; quae, si animum, unde dimanant, diligenter intuear; quae unquam in tam eximia voluntate erga me tua, quae, inquam, Evangelia inveniri poterunt, quibus paria paribus faciam? Declarant scripta tua, quae, tradita memoriae hominum sempiternae, dum nomini tuo mirabiliter favent; dum Te dignum splendidiori dignitate significant; dum magnis Viris, et litterarum gloria, et ortus claritate praestantibus, plurimum certe commendant, omnes etiam in Tui admira-

tionem facile adducunt. Ac ne quis putet haec ita forte a me dici; ut missas faciam familias illas, quae Romae, hoc est, in amplissimo Orbis Terrae Theatro, omni benevolentiae genere Te complectuntur, illectas eximia quadam eruditione, et oris, vocisque suavitate, quibus sermones tui in consuetudine condiuntur; Corsiniam, Burghesiam, Ghigiam, ipsam illam regalem de Jorch, *multasque praeterea ordinis nobilioris; quot habes Florentiae, et Pisis; Parmae, et Bononiae; quot etiam Taurini, in illo Musarum domicilio, quibus, quod tecum arctiori quodam necessitudinis vincula coniunguntur, et saepe litteras mittas, et doctrinae tuae testimonium aliquod praebeas? Quamquam*

haec mihi tanti non sunt, ut majora in Te ipso non facile agnoscam. Norunt namque omnes, quam Te praestantiores aliquot Academiae vehementer expetierint, qui bonas artes, et disciplinas e loco superiore profitereris: norunt easdem sibi laudi etiam duxisse, si eis nomina dares. Quae quidem omnia, addita nobilitati, quam a majoribus habes, veluti haereditate relictam; quamque splendidiori galeri ipsius dignitate fulgentem praeterito seculo in alumno gentis vestrae Roma conspexit; quid ni movere me debeant, ut Tibi munusculum hoc, qualecumque, nunc mittere optem? Habe igitur, Fabroni ornatissime, quae Consolinius, multis de caussis non modo Tibi, sed etiam Familiae

tuae, tuisque omnibus, jampridem addictus, nunc autem novo quodam, ac prope divino beneficio devinctus, audet offerre: quae si non alia ratione grata erunt fortasse, hoc saltem nomine ea Te laeto vultu accepturum confidit, quod, eadem haec ipse dum leges, tuorum dicta, factaque poteris ita intueri, ut, tanquam in speculo expressam imaginem tuarum virtutum Tibi liceat agnoscere. Vale.

DE VITA
CASTILIONIS FABRONII

Marratha non eos ortus habet, ut valeat nobilitate antistare omnibus Romandiolae Oppidis, quae ad Aetruriam pertinent. Eas tamen complectitur Familias, quae alumnorum suorum gloria multum illi splendoris compararunt. Nam non Piscetii modo Rolandum suum, Ratti Silvanum suum, Julianum Ferrii, aliaque alios ; verum Gens quoque Ubaldinia, quae, Domina quondam Mugelli, multum in Aetruriae fastis celebratur ; et Tamburinia, quae, honestata Stephani Cruce, nobilitatem auget a majoribus traditam ; et Fabronia, quae e Pistorio hic sedem fixit, cum aliis temporibus protulit plurimos, qua praestantes litterarum laude, qua etiam armorum ; tum hisce nostris, quibus nonnulli in ipso aetatis flore ea posteritati tradiderunt, quae Patriae, et Pontificibus ipsis, quorum de rebus gestis scripsere, accurate sane, et eleganter, commendationis plurimum attulerunt. Ex

hac eadem genta ortum duxit Castilio Fabronius: cujus quae fuerit adolescentia, non est necesse pluribus verbis commemorare; cum mores illos ingenuos, quos suxerat a nutrice una cum lacte, ita, in vivis dum fuit, constanter retinuerit, ut omnibus esset admirationi. Vix dum confecto Grammaticae cursu, indolis suae, quae clarius explendescebat, illud quotidie specimen praebens, quo in Parentibus posset spem certe non parvam concitare, missus est Ticinum; ibique in nobilissima illa Academia, earum artium, quae ab humanitate nomen habent, fundamento praeclare jacto, severioribus disciplinis animum statim adiecit. Nihil autem tam ei curae fuit hujusmodi in re, quam ut studia omnia, quae in deliciis maxime habuit, eo praesertim intenderet, quo cogitationes omnes converterat suas. Stabat Medicae Arti velle se addicere. Hinc non in Philosophia modo, quae hujus generis etiam hominibus solet afferre non minus fortasse utilitatis, quam dignitatis, sed in Mathematicis quoque, mirum, quantum impenderit laboris, et diligentiae; ut, ne vigiliis quidem diuturnioribus parcens, dum illud unum urgehat, ut pro re nata alienae posset valetudini diligenter mederi, suam ipse negligeret. Quippe non eos audiendos putabat, qui, Deo non bene advocato, illud quotidie habent in ore: *Satius esse vitam curvi pecudis vivere, quam doctum emori.* Lau-

ream adeptus, domum primum, deinde petiit Florentiam. Erant ea in Urbe, qui hasce artes excolerent, Viri a Rediana schola celeberrimi; qoos ille et obsequio quodam, et ingenio suo, et earum rerum cognitione quod arctius sibi devinxerat, eum doctior quotidie domum redibat eorum ope, tum eam habuit a Principe veniam, ut, quamvis in Pisano Lyceo non probatus, in Aetruria posset facultatem hanc, periculosae aleae adeo plenam, primo quoque tempore exercere. Est enim haec lex, jam ab illis prope temporibus, quibus Cosmus Mediceus, summus ille Patriae Parens, excitavit praeclarum illud Musarum Domicilium: *qui eo loci adeptus non fuerit Doctoris*, ut ajunt, *insignia, posse ad publica munera adhiberi neminem*. Cooptatus in Medicorum Collegium, totus erat in eo, ut, quem esse contenderat, se ipsum praestaret. Itaque abdicato se jam, qui curandae valetudini praesto aderat apud Mutilianenses, condicto pretio; hunc sibi publice operam navare voluerunt. Mutilum deductus, cepit de ducenda Uxore cogitare. In qua non ille oris commendationem, aut corporis habitum, aut quicquid demque hujusmodi, sed mores spectavit in primis. Duxit autem Liviam Fabroniam, civem Marrathensem, gentilem suam; cum qua ita postea vixit ad extremam senectutem, ut cum ea non modo numquam in gratiam redierit, sed ne suspicionem quidem praebuerit alieni

ab ea animi, et voluntatis. Nam etsi curis distentus, iisque laboribus, quos insumebat assidue, ut traditae sibi provinciaa cumulatissime satisfaceret; nihilo minus nec Liviae suae, nec liberis, quos susceperat plurimos, officia non praestitit. Quo fiebat, ut et diligens Pater familias haberetur; et sedulus Medicus, idemque prudens, serviret suorum temporibus. Hac autem in re quicquid sibi nominis comparavit, quod non obscurum admodum fuit, huic acceptum referat, necesse est; quod, cognita morbi vi, atque natura, et *de instantibus*, ut ait Thucidides, *verissime judicabat, et de futuris callidissime conliciebat*. Quod quidem cujus virtutis sit, quantaeque prudentiae, facile existimabit is, qui judicare poterit, quam ille in loco lubrico, periculosoque versetur, qui in tanta naturae obscuritate, tantisque tenebris, quibus plerumque diversa morborum ratio continetur, hujusmodi fluctibus se se committere audeat. Nihilo secius dici non potest, quam esset illi facile factu, ut, cum rem ipsam investigasset attentius; quod certe, quotiescumque res postularet, usuveniebat, eum raro admodum sententiae suae poeniteret. In quo, si quam ipse rationem secutus est cognoscendorum morborum, persequi velim, videar magis, quam debeam, mihi tribuere. Non enim solum scrutabatur, quod vitae genus, qui mores, quae etiam ciborum, quae vigiliarum, somnique esset

consuetudo ; sed oculos ad ea quoque intendebat, quibus non licet omnibus, harum artium omnino imperitis, facile adiicere : ut, cum ad pronunciandum descenderet, detectis, ut ita dicam, latebris morbi, videret, quantum quidem patiebatur artis natura, quid spei sibi propositum esset, quid etiam remedii. Quare id unum dixisse sit satis : hac re eadem illum cum iis, quorum de vita agebatur, fuisse carissimum ; tum sibi quoque, rebusque suis diligenter consuluisse. Nam domum emit, cujus amoenitas, non aedificio, sed situ constabat : praedia etiam, et fundos ; ut liberos dum sedulo alebat, dum prospiciebat uxori, dum filias pro dignitate locabat, patrimonium ipsum augeret. Quapropter minime est mirandum, si, hac morum, vitaeque ratione, eo tandem pervenit, ut omni benevolentiae genere illum non modo Mutinenses prosequerentur, sed, cum, exacta jam aetate, provinciam dimisisset, velletque sibi, suisque vivere ; religioni maxime indulgens, quam insitam animo habebat, in otio, quod sibi proposuerat, numquam sinerent conquiescere. Hinc factum est, ut, obrutus mole quadam molestiarum, Patriam cogitarit. Quamvis enim ab ea abesset jampridem, tamen caritatem illam, quae erga eandem ingenita erat quodammodo illi, numquam dimisit ; ut de eo dici posse videatur, quod Poetae de Ulisse : *Unam Ithacam suam, tamquam nidulum saxo appensum,*

ceteris Orbis partibus anteposuisse. Mutilianae igitur relicta, quam ibi constituerat, Familia, Marratham venit; seque e vestigio recepit cum uxore carissima apud Jacobum filium, quem Castilionis Fratres haeredem ex asse instituerant. Quid ei curae potissimum fuerit, novo hoc domicilio constituto, non attinet dicere pluribus. Certe propositum suum ita constanter peregit, ut, quamvis aegrotos inviseret, nihilque praetermitteret, quod ad illorum valetudinem pertineret; statas tamen horas, quae quidem plurimae erant, quotidie triberet Religioni. Cujus quidem adeo ille, dum vixit, studiosus fuit, ut summo mane Templum ingressus, cum precibus se se ferventius dedisset, non prius inde discederet, quam sol in pomeridianum tempus inclinaret. De Castilionis autem pietate erga miseros, quid ego plura commemorem? Cum multos ita de eo praedicantes audiverim, se non Medicum, non Patronum, sed Parentem verius amisisse. Neque iniuria. Nam ita implicitos morbo sublevavit opera sua, ut nulli labor ejus, nulli fides, nulli res familiaris unquam defuerit. Sed jam tempus est, ut pauca de ejus morte dicamus; quae inopinato ita contigit, ut, licet quintum, et octuagesimum aetatis annum jam absolvisset, tamen gravis exteris, luctuosa suis, acerba Patriae videretur. Nam cum ad eam fere aetatem prospera usus esset valetudine; ut qui et optima erat habitudine corporis, nec abdominis ma-

gis iodulserat, quam quantum homini posset videri satis, nactus est marbum, quem e vestigio extrema fata sibi portendere divinus praescivit. Dolore enim ex intestinis, quem vulgo *Volvolo* appellant, oppressus, dum ei remedia proponebantur, illud ex Ippocrate pronunciavit : *Desperatis medicinam non esse adhibendam.* Itaque decessit die altero, ex quo eum morbus invaserat ; tanta quidem constantia animi, ut ostenderet, ea in Patria sibi jam esse commorandum, quam omnibus votis concupierat.

DE VITA
JACOBI FABRONII

Jacobus Fabronius, huic affinitate coniunctus, quo de nunc egimus; erant enim ejusdem gentis, jam a majoribus in plures stirpes diductae: natus est Marrathae III. Kal. Octobris Anno MDCLXXXIX. Parentes habuit, Cherubim Fabronium, et Angelam de Rondininiis, domo Faventia: qui quoniam illi puerulo jam instillarant una cum lacte semina illa, unde virtus exurgere solet, eam a teneris vitae rationem instituit, ut bene non modo de eo sperare, sed etiam confidere omnes possent sui, eum et auxilio Familiae, et Patriae ornamento aliquando futurum. Decesserat ei Pater, cum, natus ad bonas artes, multum proficere cepit et ingenio suo, et Matris consilio, cui intimis haerebat medullis. Atque iis studiis, quae ab humanitate nomen habent, Florentiae sedulam operam dedit, ibique Patribus Scholarum Piarum, quos ille duces adhibuit, probavit industriam suam. Verum quod do-

mus ei unice innitebatur, citius, quam res postularet, coepit de discessione cogitare. Nihilo secius cum tritas haberet aures notandis generibus Oratorum, et Poetarum; siquid se ei offerret hujusmodi, optime de eo sentiebat, et loquebatur; ut appareret, summa futurum in hisce artibus gloria, si iis se totum dedisset. Marratham ut venit, non prius, quid sibi a Patre fortunarum relictum esset, cognovit, quam, cum videret eas moderatore indigere et sedulo, et diligenti; ratus, se operae pretium facturum, si Jus civile perdisceret, Faventiam se contulit. Annum ibi commoratus, non sine magna studiorum suorum utilitate: plures enim sibi conciliarat, qui litteras in deliciis habebant; quosdam etiam, quibuscum eruditos assidue sermones institueret, domum remigravit; ubi degens honestissimo in otio, libros illos numquam dimittebat de manibus, quibus, quas sibi comparaverat, rerum cognitiones, cum confirmaret legendo, tum hauriret novas in dies. In primis autem in Historia plurimum studii consumsit: in qua adeo ille diligens fuit, ut aequalium, quos quidem habebat, nec paucos, nec impolite eruditos, tantum non omnes superarit. Peracta ita fere adolescentia, cum sorores jampridem locasset, studio ductus matri obsequendi suae, quae ei omnia ardenter cupiebat, uxorem duxit Mariam de Oriolis e Faventina nobilitate. Hanc autem ei mater proposuit, quod ipsa,

et Faventiae nata, et ejusdem ordinis femina, civem suam, his nominibus sibi coniunctam, secum habere vehementer optabat. Qua quidem in re non minus enituit caritas quaedam Jacobi, quam singularis prudentia. Ita enim omnia disposuit, ut, cum eum multorum filiorum parentem fecisset, iis non modo numquam defuerit, sed liberaliter omnino prospexerit : ut et imbuerit eos moribus quibusdam antiquis, nec unquam dubitaverit non tam utilitati eorum servire, quam voluntati. Nam sedulo illud contendit, ut speciem quamdam Religionis animo informatam haberent ; nec voce solum, sed etiam exemplo : quippe patriam ille potestatem, quae quidem plurimum debet valere, sustinuit semper mirum in modum. Iis autem ita consuluit, ut feminis, et quae virum malebant, satisfecerit, et quae Deum : pueros vero, postquam suo ipse labore, sua industria primis litterarum elementis instituerat ; in quo quidem, ut traderet iis saniora omnia praecepta, nullum non lapidem quotidie movebat ; eosdem, hunc Romae, illum Florentiae, alium aliis in urbibus, ubi disciplinarum studia florerent, celeberrimis Doctoribus edocendos commiserit. Atque hoc loco illud interponere licet ; industriam suam magno ei fructui interdum fuisse. Saepe enim factum est, ut, dum iis mitteret filios, cum grammaticorum optime percepta haberent praecepta, eos ad omnia factos, frequenter audiret. Quod quidem

cum alias expertus est, tum nuper in Cajetano; qui, Patris inhaerens vestigiis, summo nunc studio ad laudem contendit. Nam politioribus litteris cum illum in Baadinelliano Collegio operam Romae navare voluisset, tantum abfuit, ut quicquam consilii sui poeniteret, ut etiam paucis post mensibus praeconium laudum suarum audire potuerit. Neque hic Bruno ille praetereundus videtur, qui in Joannis Gualberti Societate divino cultui addictus, ad morum, vitaeque integritatem, ingenii etiam, et industriae laudem adiecerat. Nam, ut cetera omittam, in Mathematicis adeo profecerat, ut, nisi eum mors oppressisset, fuisse ad Grandii gloriam perventurum, accerrimi harum rerum aestimatores affirmare non dubitaverint. Haec ita domi ab eo gerebantur. Nec publice minus multa sunt hojus praeclare facta. Namque Patriae, quam adamavit mirandum in modum praesto adfuit omnibus in rebus: nihil enim potuit unquam decernere, quin prius Jacobum consuleret; nihil in consilio Jacobus referre, quin ejus commoda haberet in votis: ut, cum temporibus sapienter uteretur ad ejus utilitatem, ipsius erga se animum, veluti matris amantissimae, experiretur. Civibus vero suis, quoties ejus opera, auxilio, labore opus fuit, omnia praestitit officia. Nemo eum adiit, quem non humanitate sibi devinxerit: nulli potuit adiumentum afferre, quem continuo non auxerit liberaliter: nullius subvenire

indigentiae, cui denique opitulatus non fuerit. Quin cum plurimi essent in Patria adolescentes, honestis parentibus nati, iique praediti ingenio; quod iisdem, qui litteras publice profitebantur, etsi urgerent negotium, cogebantur interdum deesse, difficultate quadam, quae quidem rem ipsam consequitur hujusmodi in scholis, in quibus immani quodam labore, et qui Grammaticae operam navant, et qui Humanitati, atque adeo etiam Rethoricae, omnia unus praestet, oportet; imposuit illud oneris sibi, ut eos diligenter doceret. Ac pietatis suae erga cives, quae quidem mirifica fuit, plura proferre possem testimonia. Sed modus est adhibendus, ne laudes ejus dum diligentius persequimur, lectores abundatia quadam fatigare videamur. Ab hoc tamen abstinere non possum; quod imaginem quamdam animi illius exprimere mihi videtur. Oppresserat fames Romaadiolam; summaque in caritate non ii modo, qui victum ostiatim quaerebant, sed plures etiam ingenui, ad incitas fere redigebantur. Jacobus, qui diligens erat Paterfamilias, ut suorum habuit rationem, nihil sibi duxit antiquius, quam ut egentibus, quibus rebus posset, esset auxilio. Itaque et qui domi eum compellabant, humaniter excipiebat, nec si quem pudor ab ea deterreret, huic non opem praestitit diligenter. In his autem oculis eos adspexit aequioribus, ad quos, dum in angustum deducta res esset, nocte intempesta fru-

menti mensuram quamdam, pene jam senex, humeris suis asportavit. Qua quidem re, dubito, an aliud illustrius factum possit afferri. Cum enim pervenisset ad januam, nihil aliud egit, quam se ab eorum conspectu omnino subtrahere. Deposita enim sarcina, pultavit: excitatos ut sensit venire ad se, illico fugit. Adeo pietas insederat in animo ejus, ut, aetate etiam in senium vergente, haec ipse subiret. Nec exteris minus, qui esset, et quantum in litteris valeret, ostendit. Nam et pluribus, quamdiu usui fuit opera ejus, adfuit semper; et aliorum cum retineret consuetudinem litterarum commercio, illud assequebatur, ut humanitatis, diligentiae, amoris quoque sui testimonia ab iis frequenter acciperet. Dilexit autem in primis Politum, graecarum litterarum in Pisano Lyceo celeberrimum adeo Doctorem, ut potuerit Antonii Salvinii famam in Aetruria sustinere: Hieronymum Ferrium, cujus etiam diligentiae Virgilium suum instituendum commiserat: Angelum Fabronium, in quem, et quod filius erat Sororis, et assiduis laboribus in litteraria republica comparabat sibi nominis plurimum, singulari quodam amore ferebatur: Josephum Piatium; Vincentium Talenti; Julianum Ferrium; multosque praeterea e Romualdi Familia, eorumque, qui Joannis Gualberti Societati nomina dederant, clarissimos, ac praestantissimos viros. Vixit usque ad septuagesi-

mum quartum aetatis annum, in quo lateris dolore consumptus est. Quam aequo animo mortem pertulerit, illud testimonio esse poterit, quod tanto in periculo majores spiritus gessit, quam unquam rebus secundis. Nam quatuor ipsis diebus, quibus, lectulo affixus, paruit medicorum voluntati, etsi suprema fata sibi impendere cognoscebat, tamen summam ille constantiam vultus semper retinuit. Fuit autem, ut ad pietatem propensior, ita moribus quibusdam censoriis: nam gravis non minus vultu, quam oratione, severitatem adeo praeseferebat, ut nemo magis. Idem tamen in consuetudine, cui statis horis se dabat animi caussa, affabilis, blandus, hilaris etiam reperiebatur: quod affirmare de homine mihi esset religio, nisi propter familiaritatem, quae mihi intercessit cum liberis ejus, urbanitatem quamdam, libero dignam, degustare non potuissem. Hujus de Vita satis erit dictum a nobis, si illud adnoxero: eum veritatis adeo diligentem fuisse, ut mendacium pati non posset; Religioni vero ita etiam addictum, ut, iis praetermissis, quae hominem decent christianum, precibus illis, quae Officio, ut ajunt, divino continentur, quotidie ei curae fuerit Deum compellare: quod est signum, illum toto vitae cursu eo praesertim spectasse, ut, qua fruuntur in Coelo Beati, sibi compararet felicitatem.

DE VITA
VIRGILII FABRONII

Virgilius Fabronius natus est Marrathae, parentibus apprime nobilibus, Jacobo Fabronio, et Maria Orioli Faventioa. Patrem nactus, haud impolite bonis artibus eruditum, primis litterarum elementis domi apud eum diligenter imbutus est; breviqne, qua esset iogenii docilitate, omnibus ostendit. Missus ad eos haud ita multo post, qui Juventuti instituendae publice in Patria operam dabant, dici vix potest, quam ei pueriil in stadio facile omnes antistare contigerit. Nam cum ingenio polleret, nec studio minus, et diligentia posset; et ea, quae tradebantur, celerrime percipiebat, nec, siquid erat illi conaodum, id non eleganter exprimere videbatur. Hinc factum est, ut, Praeceptoribus cum esset carissimus, ceteris etiam, quibuscum ei nsus intercedebat, quosque in litteraria exercitatione condiscipulos habebat, stimulos adderet; eosque, humanitate sibi devinctos, in sui

a.

amorem, benevolentiamque facile adduceret. Jam enim tum elucebat in Puero mira comitas quaedam: corporis erat, totiusque oris singularis venustas: quam cum integritas vitae, moresque libero digni commeodarent, eximium illud nescio quid videbatur existere, quod homines allicere solet. Ad Rethoricen progressus, cum doleret, illum sibi eripi campum, in quo excurrere ejus ingenium libere posset; quippe apud eos instituebator, qui, eo in munere etsi haberentur et elegantium peritissimi, et peritorum elegantissimi, tamen, quod profiteri debebant omnium politiorum Litterarum cognitionem, non ei poterant egregiam operam assidue navare; nactus est domi, qui illi emperet, studiisque suis pro dignitate consulere. Nam cum floreret Seminarium Faventiae et Magistrorum praestantia, et Adolescentium frequentia, undique eo confluentium; hunc sibi locum Pater delegit, in quo bonis artibus filium, omnique pietatis genere excoleret (*). Seminarium ingressus, nihil habuit

---

(*) Illexit *Jacobum* in primis, qui praesto aderant Juventuti, in spem Ecclesiae sibi concreditae, Ferri, Tavii, Verdae, Castellani, aliorumque in erudiendis adolescentibus mira quaedam, ac singularis industria: quorum primus, quam optime meritus sit de hac nostra Dioecesi, satis declarant, non ii modo, quibus illa efflorescit, veluti surculis, a trunco quodam avulsis, ac late per eam disseminatis; sed quos ceteris etiam regionibus,

antiquius, quam ut Moderatores sibi conciliaret obsequio. Mature ille e lecto quotidie: maturius, quae sui muneris erant, exequebatur; studiisque cum multas diei horas tribueret, suas etiam pietati concedebat. Praeter enim ea, quibus Alumni omnes lege tenentur, Virginem conceptis precibus, ad calculos frequentatis, summa quotidie religione quinquagies salutabat; hisque plurima addendo, quae psalmis, hymnisque certo ordine continentur, praesentissimae sibi Matris auxilium demereri curabat. Biennio in Rethoricae palestra diversatus, non sine aliqua ingenii commendatione, ad Philosophica Studia animum, mentemque convertit. Hoc fuit tempus illud, cum omni me humanitatis, et benevolentiae genere complexus, animum erga me suum, quantus quantus erat, ostendit. Videns enim, quantum mihi, studiisque meis detrimenti importaret libere agendi in Patria potestas; primum auctor mihi fuit, ut de discessione cogitarem: deinde, cum essem a fortunae bonis haud satis paratus, rationem inivit, qua studiis consularem lucello illo, quod Pater ad vitae subsidium, totiusque familiae, quae ejus maxime industriae in-

---

magnisque urbibus praestat, Poetas, Oratores, Doctores politiorum litterarum, ex ejus schola, tamquam ex equo Trojano, per illud tempus praesertim egressos, quo eo in loco Eloquentiam professus est Ferrius.

nitebatur, quotidie ex laboribus suis corradebat. Quae quidem res, quantae mihi fuerit utilitati, non est, cur pluribus dicam. Hoc tantum : me, siquid sum, qui nihil omnino sum, huic totum acceptum referre. Emenso Dialeticae cursu, paulo post, iis in consilium adhibitis, quos sensuum habebat suorum, actionumque Moderatores, statuit e re sua fore vel maxime, si Seminarium relinqueret ; quamque Ecclesiae bono Familiam ducit Romualdus sanctissimorum hominum, ac doctissimorum, huic primo quoque tempore nomina daret. Namque ceperat illum jampridem rerum humanarum contemptus ; Deique numine afflatus, perfectiorem quamdam vivendi rationem sibi amplectendam esse decreverat. Hocce in stadio, quid sibi Fabronius proposuerit, facile est judicare. Non enim solum, quid mores Legislatoris, quid instituta juberent ; sed altiora longe spectabat, quam quibus oculos quisque adducere facile posset. Itaque nemo erat inter suos, quos quidem cognitos ille haberet, qui sibi non ab eo plurimum polliceretur ; nec tantum in eo instituti genere, quo tota pene monasticae vitae ratio continetur, sed in quadam etiam bonarum artium disciplina, scientiarumque omnium praestantissimarum, ad quas natus, et altus videbatur. Noverant enim homines illi, quantum indoli esset, quantum ingenio, quantum etiam pietati tribuendum ; callidique harum rerum

aestimatores satis jam tum providebant, talem futurum, qualem cognitum judicarent. Quorum expectationi abunde ille quidem respondisset; et, ut erat industria singulari, eam fortasse superasset, nisi morbo interceptus longe gravissimo, in eo mentis aciem intendisset, quod ad coelestem Beatorum sedem viam sternit quum munitissimam. Adhuc enim Ravennae versabatur, tantumque non absolverat Tyrocinium, cum, tabe corpori importata per sanguinem, jejuniis, laboribus, vigiliisque detritum, eo delapsum esse se sensit, ut, ingravescente in dies morbo, quicquid erat virium, sensim deperderet. Neque eo secius cessatum est a remediis: omnia tentata: sed cum ipse quotidie magis tabesceret, uctum jam Medici conclamare, nihilque reliqui esse, quod ab arte expectandum videretur. Tenuit tamen haec inter eos sententia: patrio in coelo posse ei esse vel plurimum, nisi quid vitii gravioris contractum in pulmonibus esset: proindeque denunciaret, ut statim in viam se daret. Domum deductus, tantum abfuit, ut quicquam proficeret, ut paucos etiam post dies fuerit pene in extremis. Obiit autem Murrathae paterna in domo, cum quintum aetatis lustrum vix attigisset. Quum omnibus esset carissimus, id erit indicio, quod, ex hac vita migrando, maximum sui desiderium reliquit. Mihi certe, cui multum ille, dum vixit; quae ejus erat benignitas, deferre con-

sueverat, quique et obsequio, et amore assidue illi respondebam; quantum moeroris attulerit ejus mors, ii mihi sunt testes, apud quos Faventiae cum agerem, re e vestigio nunciata, lacrimas tenere vix potui. Ejus corpus in aede sacra, cui *della Annunziata* est nomen, quamque incolunt Virgines, addictae Dominici legibus, pompa funeris honestatum est, ibique conditum in Familiae monumento.

DE VITA

HORATII, FRANCISCI ET JOANNIS BAPTISTAE DE FABRONIIS

Hactenus separatim actum est de Fabroniis. Nunc, quando haec gens plurimos dedit patrum memoria, qui litteris, omnique bellica laude excelluerunt ; operae pretium videtur quaedam coniunctim ita complecti de singulis, nihil ut omittamus, quod ad propositum facere possit. In iis autem, qui nobilitati litterarum laudem coaiunxerunt, tres fuere dumtaxat, eodem Patre nati, Horatius, Franciscus, Joannes Baptista. Horatius in ipso flore juventae cum musis se totum dedisset, multum ille quidem naturae bono, sed studio plurimum, et diligentia profecit. Itaque, peritissimus hujas artis, magnam sibi laudem comparavit. Quam etiam auxisset mirandum in modum, si aut frui diutius lucis usura, aut quae scripta habebat in scriniis, ad umbilicum perducere potuisset. Franciscus autem, Theologiae lauream adeptus Pisano in Lyceo, cum eo pervenisset, ut inter Canonicos

Divi Laurentii primas teneret, Eloquentiae, sacrisque Concionibus se totum addixit. Quapropter nondum attigerat annum aetatis suae vigesimum quintum, cum celeberrimas Italiae urbes dum peragrasset, Florentiam, Ferrariam, Bononiam, Mutinam; in iisque summa vi instillasset in omnium animis verbum illud, quo christianae Reipublicae ratio continetur: nam ferunt in ejus ore, quemadmodum de Periclis labris scripsit Eupolis, suadam ipsam sessitavisse: dignitati, quam obtinebat, splendoris adiecerat plurimum. At de Joanne Baptista quid ego plura commemorem? Cum tanto fuerit ingenio, tanta diligentia in ediscendis nobilioribus disciplinis, ut, etsi plurima dixerim, multa praeteriisse videri possim. Nam Pisis eodem, quo Frater, honore cumulatus, aetate, qua erat, annorum non amplius, quam tredecim; anno post Florentiae cum publice prodiisset in pulverem, ut probaret, quanto labore praestantioribus scientiis operam suam navasset, magnam gloriam est consecutus. Hinc factum est, ut ejus nomen cum tota Italia celebraretur, Carolus Borromeus, qui Mediolani praeerat sacris, vir non doctrina modo, sed sanctitate suis etiam temporibus praestantissimus, hunc arcessierit, rique tantum detulerit, nihil ut esset, quod ejus caussa non maxime cuperet. Florentiam cum revertisset, quod Medicei admirabantur ingenium Adolescentis, accitus est, qui Dia-

lecticam Pisano in Lyceo, scientiasque omnes, quae in naturae investigatione versantur, publice traderet. Verum non ita multo post, etsi, qui eum assidue audiebant, omnium votis cumulatissime responderet; ductus afflatu divino, addixit se Divo Francisco ea in Societate, quam *Cappuccini*, ut vocant, constituunt. In qua non instituta modo Legislatoris diligenter servavit, sed, cum ceteris, facis instar, luceret, morum, vitaeque integritate, eo pietatis pervenit, ut, ex hac vita migrando, magnam sanctitatis famam reliquerit.

DE VITA

ROLANDI PISCETII

Rolandus Piscetius Marrathensis. Natus honestiore inter suos loco, cum a fortunis optime esset paratus, ut studiorum rationem haberet, petiit Florentiam. Namque Piscetii, ut nostra hac aetate, ita majorum memoria honores ea in urbe obtinuerunt; eamque ita adamarunt jam ab illis prope temporibus, quibus, eversa Republica, Medicei potiti sunt rerum, ut alteram veluti Patriam semper coluerint. Emenso studiorum cursu, in quibus multum profecit; quod ingenii vim quamdam naturali nescio quo bono adeptus erat, specimen cepit praebere industriae suae. Aetruscam autem linguam maxime amavit, et, quod jucundissima est, ipsaque suavitate facile allicit, et quod plurimi ea in urbe non deerant, clarissimi viri, qui eam diligentius excolerent. Tantum vero studii impendit in ea, ut, cum haberet in manibus jam ab unguiculis illos Scriptores, unde aetrusci

sermonis integritas, et nativus nescio quis color solet hanriri, potuerit ad aliquam dignitatem pervenire. Neque enim beato sub aere nati illud sibi juris assumunt, ut hanc linguam, quae quidem pulcherrima est, eleganter loquantur, nisi laboris in ea plurimum, et diligentiae consumant. Hinc factum est, ut brevi inter eos referretur, qui celeberrimam toto Orbe Academiam, quam vulgo vocant *della Crusca*, magno litterarum bono, constituunt. Inde Veronam accitus, humaniores litteras docuit. Prodierant illis temporibus scripta, quibus Academia illa Torquati Tassi Gothiphredum vehementer petebat. Rolandus, cum essent non pauci, qui armis, ut ajunt, equisque Tassum defenderent; propterea quod obtrectabant magnis Viris quibusdam, qui in re litteraria primas tenebant, nervulos omnes contendit, ut et socios, quos certe babebat carissimos, et leges illas, quibus sermo patrius continebatur, sartas tectas haberet. Huc Paulus de Benis in Libro, quem *Cavalcantium* inscripsit, Piscetium adortus est vehementer. Fecit idem et Guastavinius in Sermonibus de Gothiphredo. Sed homo, harum rerum non imperitus, et utrisque paria paribus retulit in suis responsionibus, quas hac de re edidit; et Academiam, quae ei curae erat vel plurimum, ex dignitate sustiuuit. Quam vehemens fuerit contentio, satis scripta declarant. Pronunciare autem, uter eorum caussa

ceciderit, nostrum non est, qui haec omnia capitulatim attigimus. Ceterum, quantum in hisce studiis valeret, testis est in primis Tragoedia, quam *Caesarem* nuncupavit. Fabula item, quam Reginae, cultricis nemorum, nomine typis commisit; et, ut reliqua omittam, proverbia, quae quidem in pretio sunt apud omnes. Floruit autem Cosmi Secundi temporibus, cum litterae, et nobiliores disciplinae, quae jam ad maturitatem pervenerant, depravato eorum judicio, qui iisdem operam dabant, in senium prolapsae, sensim videbantur amittere, quam sibi pepererant, dignitatem.